



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 7. An Augustinus putaverit, baptismum datum sine intentione esse
validum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

S. VII.

An Sanctus Augustinus putaverit, baptismum datum sine intentione esse validum?

lum; quæ doctrina ab omnibus catholicis jampridem rejicitur, nec sine scandalo a quoquam obruderetur. Sed respondemus, Augustinum intelligendum esse de delectatione, quæ est sine plenâ advertentiâ malitiæ, vel periculi illius, in quo casu non esse illam peccatum mortale communis Theologorum sententia est, testibus Sancto Thoma q. 15. de malo art. 2. ad 16. Sala 1. 2. tt. 13. disp. 6. sect. 6. & Vasquez 1. 2. disp. 97. cap. 3. At Sanctum Doctorem de delectatione eo modo erumpente locutum fuisse non obscure ex illiusmet verbis cognoscitur: *Quando in talibus, inquit, cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis non sicut oportet, ne illò incidat, inde avertentes, aut si incidit, inde rapientes.* Cap. 10. cit. Oportet enim mentem, si eas in cogitationes incidit, statim inde avertere, quod si ex defectu plenæ advertentiæ non fiat, (quod sæpè accidit, cum non sit in nostrâ potestate, quid nobis veniat in mentem, sed turpia quandoque irrepant, animumque repentina delectatione titillent,) neutiquam peccatum mortale censetur. Hinc Augustinus consultò addidit *aliquâ delectatione*, ut ejus gravitatem, ac vim ad peccatum mortale causandum non sufficere ostenderet. Porro sensisse Augustinum cogitationes, seu delectationes morosas esse peccatum mortale, patet ex lib. 12. de Trinit. cap. 12. ubi apertè docet, tales delectationes morosas esse peccatum sufficiens ad pertrahendum hominem in æternam damnationem, nisi sacramentali gratiâ culpa remittatur: *Ita dici potest, inquit, in homine uno, si delectationibus illicitis, à quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola passatur, nec faciendâ decernatur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere.* Hæc quippè una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animi talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. En clarâ, apertamque Sancti Doctoris sententiam, qui si alibi ita locutus fuit, ut & in pravam, & in bonum sensum trahi poterit, cur non ipsum audit Moraines suorum verborum interpretationem, sed ex semel contrâ ipsum conceptâ opinione in erroneum sensum detorquet, ut ejusdem accusandi potentior locum sibi faciat? Tales nos erga aliorum scripta præstare debemus, quales nostris chartis Lectores volumus, nempe candidos, ingenuos, extra odium, ac livorem positos, quive ea, quæ æquivoca fortè excidere, congruis interpretamentis exponunt. Cæterum quantum sanctissimus ille Ecclesiæ Doctor delectationes hæc furtim in animum irrepentes timuerit, atque exhorruerit, ex his precibus, quas in fine præclari illius operis de Trinitate ad Deum profudit, satis abundè intelligitur: *Multa sunt, ait, cogitationes meæ tales, quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vana sunt. Dona mihi non eis consentire, & si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente.* Quid est in delectationibus velut dormitando immorari? nisi ex non plenâ advertentiâ immorari, sicuti qui dormitat, non plenè advertit ea, quæ fiunt.

Sed alio rursus errore Augustinum involvit adversarius: *Item dubitavit, inquit, num baptismus sine intentione datus per jocum, & irrisoriè validus sit lib. 7. de baptismo cap. 53. consetque expectandam esse revelationem, antequam talis reb. puzetur.* Ita Moraines ibidem. Non una, sanè fateor, est Theologorum sententia in explicando Augustino, ne videatur à baptismo necessitatem intentionis removisse, quam tamen necessariò requiri & Florentina, & Tridentina Synodus decrevere. Magister Sententiarum 4. dist. 6. dubium fuisse Augustinum concedit. At Sanctus Thomas ibidem in fine distinctionis exponens textum docet, dupliciter posse quempiam irrisoriè baptizare. Vel propter solam objectionem, quam ex illâ exteriori actione capit, non habens interim intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, neque conferendi rem Sacramenti, nempe gratiam, & hoc modo tradit nullum esse baptismum. Vel potest quis ludicrè alterum baptizare, ut intendat quidem facere, quod facit Ecclesia, sed non conferre rem Sacramenti, quod ipse falsum, nullumque arbitratur, & in hoc posteriori sensu ait esse validum baptismum, quare cum nesciamus, quo ex his duobus intentionis modis ludicrè baptizans alterum abluerit, expectanda est, inquit Sanctus Thomas, divina revelatio, ut docet Augustinus. Pater Macedo lib. 4. de Clavibus cap. 9. partis primæ hanc explicationem subscribit, laudans Augustini prudentiam, qui ad eam occultam cogitationem per ludum baptizantis detegendam, Dei unius testimonium, qui cordium scrutator est, necessarium pronunciaverit. Addit ibidem, Recentiores gerere se insolenter, qui Augustinus ob id reprehendunt, uti est Antoninus Moraines in suo Anti-Jansenio iniquissimus, ait, *Augustino auctor, sed non miror, quod cum in eo libro fictus sit auctor, cum personâ decorem deposuit; Bellarminum imitari debuit multo se doctiorem, & meliorem, qui Augustinum intellexit, & vindicavit.* Sed sanè Moraines, qui de necessitate intentionis ministri Augustinum dubitasse dicit, Bellarminum imitatur, qui lib. 1. cap. 28. in sol. 3. arg. Kemnitii scribit, Augustinum de intentionis necessitate dubitasse, addens: *Nunc autem res definita est in duobus generalibus Conciliis Florentino, & Tridentino.* Hæc tamen explicatio mihi probari nullo modo potest. Nam in dubio repeti debet baptismus, ut communis Doctorum sententia tradit ex Concilio Carthaginiensi post conf. Fl. Stilichonis Anno 401. ubi in dubio, an puer barbarus venundatus sit baptizatus, decernitur esse illum baptizandum; expedit enim exponere potiùs Sacramentum periculo nullitatis, quàm hominem periculo damnationis, neque dicunt Patres in eo dubio implorandam divinam revelationem. Porro illud decretum notum fuit Augustino, quo præsentè repetitum est cum cæteris canonibus Synodorum Africanarum sub Aurelio Carthaginiensi habitatum in plenario Concilio Africano anno 419. Igitur non apparente voluntate per ludum baptizantis, iterum est baptismus repetendus. Ita si quis Judæus apud sitos in scenâ nostra sacra irridentes esset baptizatus, ad fidem verò veller accedere, Ecclesia illum baptizaret, nec revelationem expectaret, quâ Judæi olim in scenâ baptizantis intentio innotesceret.

ceret. Quando autem Augustinus eo cap. 53. ait: *uirum approbandus esset baptisimus, qui sic daretur, diuinum iudicium per alicujus revelationis oraculum &c. implorandum esse censere*, non intelligit in dubio facti, sed in dubio juris, nam talis persona sic baptizata esset iterum baptizanda. At de sufficientiâ, & valore talis modi baptizandi, ut inter dogmata Ecclesiæ certa definitio reponeretur, expectandam dixit revelationem; non quidem quæ alicui personæ privata fieret per novum miraculum, sed quæ fieret Patribus Synodi per solitas illustrationes Spiritus sancti; undè statim addit: *Itaque, ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum, & cognitum afferrent, humiliter expectarem.*

Inter cæteros Recentiores, qui de intelligentiâ hujus cap. 53. Augustiniani agunt, primas ferunt Vasquez 3. p. disp. 138. cap. 4. & Lugo Cardinalis disp. 8. de Sacr. in genere sect. 3. Ego sic judico rem ab initio repetendo. Occasione quæstionis, quam Donatista de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati erant, Catholicis faciebant, nonnulla dubia de baptismo inter ipsos Catholicos suborta fuerant, quæ Sanctus Augustinus in finem septimi, & ultimi libri de baptismo rejecit, ea verò ibi recitat non quidem soluturus, sed posteris potiùs solvenda proponens. Itaque sic caput illud 53. exorditur: *Solet etiam queri, utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur &c.* Tres verò ibi quæstiones præcipue proponit. Prima est an fallaciter, & simulatè tradens baptismum verè baptizet, fallens, inquam, in Ecclesiâ, vel quæ putatur Ecclesia? Altera quæstio est: An fallaciter, & cum simulatione suscipiens in Ecclesiâ baptismum verè, & validè baptizetur? Postrema quæstio est, an tum præbens, tum recipiens baptismum extrâ Ecclesiam mimicè, & ludicrè ablutionem peragentes, verè conficiant Sacramentum baptismi? In his dubiis non audeat Augustinus quicquam definire, sed ait: *Nobis tutum est in eâ non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio ceptra, nullo plenario Concilio terminata sunt.* Postea insinuat, si in eâ Synodo federet, in quâ illa dubia solvenda essent, malle se aliorum sententias sequi; & si eo animo tunc esset, quo erat, cum illa dictabat, ita responderum: Ad primam quæstionem quidè: *Habere eos baptismum, qui ubique, & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum sine suâ simulatione, & cum aliquâ fide accepissent.* Ad alteram quæstionem respondet: *Præteritis majorum statutis non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesiâ tamen accipiant, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur.* Itaque ex Augustini sententiâ sufficit ad valorem baptismi, quòd in alterutro tantum sit vera fides, licet in uno possit esse fallacia, & simulatio. Porro non est certum, an de intentione necessariâ ad baptismum loquatur. Nam Vasquez putat, per ly *simulatus animus, fallacia, simulatio*, excludi veram intentionem aut dantis, aut accipientis baptismum. Quare cum dicit Augustinus, qui fallaciter accipiunt baptismum, idem sonat, ac *absque intentione.* Et concludit putasse Augustinum, intentionem non esse necessariam in dante, & suscipiente baptismum, sed satis esse, quòd sit in alterutro, quæ sententia modò ob decreta Conciliorum tuta non est. Sed hæc explicatio difficultatem patitur, quòd Augustinus apertè scribit: *Præteritis majorum statutis non dubito, etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ec-*

clesiâ tamen accipiunt. Si igitur fallaciter accipere baptismum, est sine intentione recipere baptismum, Majorum statutis decretum erat, recipientem sine intentione esse verè baptizatum; hoc enim testatur Augustinus, qui ob decessorum statuta recipientem baptismum cum eâ fallaciâ, ac simulatione non dubitat esse validè baptizatum. Et superius loquens de dante, & accipiente cum fallaciâ ait: *An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur, & tamen si postea prodatur, NEMO REPETIT, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut penitendo sanatur.* Per ly *fallaces, à quibus agitur*, intelliguntur dantes baptismum, & per ly *in quibus agitur*, accipientes baptismum. Quòd si fallacia, & simulatio significant carentiam intentionis, quis non videat, communem olim in antiquâ Ecclesiâ sententiam damnatam fuisse à Tridentinâ Synodo, nempe non requiri intentionem ad valorem Sacramenti? Augustinus enim Majorum statuta appellat, quibus decretum erat fallaciter, hoc est sine intentione, ut explicat Vasquez, accipientem habere verum baptismum. Item testatur, tales cum eâ fallaciâ baptizatos, si prodatur ea simulatio, excommunicari, non verò rebaptizari, quod significat illis verbis, *nemo repetit*, scilicet baptismum, cujus oppositum modo docet Ecclesia, quæ cum definiat, baptismum collatum sine intentione, esse nullum, illum repeti jubet. Itaque explicatio, quâ Augustini dicta Vasquez interpretatur, stare nullo modo potest, nisi dicamus, vel antiquos Patres errasse, & non rebaptizantes eos, qui cum simulatione baptismum peregrissent, eorundem damnationis causam fuisse: vel certè Tridentinos, & Florentinos Patres contrâ vetustioris Ecclesiæ sententiam statuisse, intentionem esse necessariam ad valorem Sacramenti; quod utrumque falsum, & absurdum est. Fictus ille Moraines in disputationibus Theologicis, quas sub vero nomine nempe Joannis Martinoni edidit, 3. part. disp. 22. sect. 3. num. 33. non sibi coherentem doctrinam Augustini arguens ait: *Cumque Divus Augustinus eodem loco rectè censuerit, eum non recipere baptismum, qui fictè, & sine intentione recipiendè accedit, par fuit ratio, ut non dubitaret, eum quoque non verè baptizare, qui non serid, ac sine intentione baptizat.* At Sanctus Doctor oppositum prorsus scripsit, nam plana sunt ejus verba superius recitata: *Non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter (hoc est sine intentione, ut cum Vasquio interpretatur Martinonus) id accipiant, in Ecclesiâ tamen accipiunt.* Nullius autem minus coherentis sententiæ Augustinus auctor fuit, ut opinatur Martinonus, sed validum esse baptismum dixit, & in fallaciter accipiente, & à fallaciter dante.

Explicandum igitur est, quid nomine fallaciæ, & simulationis Augustinus intelligat, cum dici nequeat, significasse carentiam intentionis modò ex Tridentino ad valorem baptismi necessariâ. Itaque fallacia, & simulatio in duplici sensu accipi possunt, vel quatenus excludunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia in conficiendo Sacramento, vel quatenus excludunt fidem, seu credulitatem, vel existimationem de re, & effectu Sacramenti, qui est sanctificatio animæ per gratiæ infusionem, quæ duo sunt valde diversa. Nam si quis Gentilis velit baptizari ob lucrum, quod indè sperat à Principe Christiano, fallaci animo, ac simulato accipit baptismum, fallaciâ tamen, & simulatione non excludente intentionem necessa-

necessariam ad valorem Sacramenti, per quam intendit facere, quod facit Ecclesia, sed excludente rem, & effectum Sacramenti, nempe gratiam sanctificantem. Quare cum ex dictis contra Vasquium intelligi non possit Augustinus de fallaciâ, & simulatione excludente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quam Synodi posteriores statuerunt, necessariam esse ad valorem Sacramenti, de fallaciâ, & simulatione excludente intentionem, seu credulitatem, & existimationem de re, & effectum Sacramenti accipiendus est. Hinc Augustinus ad valorem Sacramenti requirit, ut qui illud fallaciter accipiunt, in Ecclesiâ tamen accipiant &c. Et antè ait: *Utrum fallens sicut in Ecclesiâ, vel in eâ, quæ putatur Ecclesiâ.* Qui enim in Ecclesiâ petit baptismum, vult sanè exteriori in se fieri, quod facit Ecclesiâ, licèt de effectu gratiæ nihil credat. Idem Augustinus lib. 1. de Bapt. cap. 12. cum dixisset Simoni Mago in baptismo dimissa fuisse peccata, quærit: *Quid si ad ipsum baptismum fictus accessit?* hoc est non habens fidem, vel intentionem de effectu baptismi, sed animo simulato, atque fallaci. Addit: *Quæro, si postea fictionem suam corde confuso, & vero dolore fateretur, denuò baptizandus iudicaretur? Quod si est demetissimum dicere &c.* Ex quibus patet, per fictionem illam excludi intentionem de re, & effectu baptismi, non verò intentionem faciendi, quod facit Ecclesiâ; si enim hoc secundo modo intelligenda esset, quomodò esset demetissimum dicere, illum esse denuò baptizandum, cum ex Tridentino illud Ecclesiâ modò doceat? Præterea ibi opponit fallentem in Ecclesiâ jocanti in mimo in suscipiendo baptismo. Quærit enim an teneat baptismus peractus cum simulatione, *utrum fallentis sicut in Ecclesiâ, vel in eâ, quæ putatur Ecclesiâ, an jocantis, sicut in mimo.* At fallens in Ecclesiâ, & jocans in mimo in hoc conveniunt, quòd uterque non habet fidem de effectu baptismi, quia neuter habet intentionem de sanctificatione animæ. At differunt in hoc, quòd fallens in Ecclesiâ serio intendit verè facere, quod spectat externam actionem, quod facit Ecclesiâ, ut & ipse censetur esse Christianus. At jocans in mimo vult tantum repræsentare per ludum, quod facit Ecclesiâ, quod non est velle serio facere, quod facit Ecclesiâ, sed per ludum velle irridere, quod facit Ecclesiâ.

Verum quid ad tertiam illam difficultatem respondit Augustinus: *Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur?* Respondet rem satis dubiam esse, & ut certa definitio in Synodo statueretur, divinum auxilium à Patribus implorandum. Et quidè Sanctum Patrem de aliquo dubitasse, quod modò extrâ dubium ponitur, necessariò dicendum est. Quando enim ait mimicè, & ludicre collatum baptismum: vel mimicè, & ludicre ita intelligebat, ut procul indè esset non solum intentio de effectu Sacramenti, verum etiam intentio faciendi, quod facit Ecclesiâ; vel ita, ut hæc secunda intentio minimè excluderetur. Si de hoc secundo dubitavit, jam modò constat, satis esse hanc intentionem faciendi, quod facit Ecclesiâ, ad valorem baptismi. Si de primo dubius fuit: Item certum modò est inter Catholicos, baptismum exclusâ qualibet intentione non esse validum. Profectò ex verbis Augustini patet, omnem, & quæcumque tunc intentionem excludi, ait enim, *sed totum ludicre, & mimicè, & joculariter ageretur.* Siquidè si adesset intentio serio faciendi, quod facit Ecclesiâ, jam non totum, hoc est omni ex

parte joculariter, & ludicre ageretur. Quis autem hanc dubitationem Augustino vitio vertat, nisi Moraines parùm æquus Augustino scriptor, qui eas Sancto Doctore sententias affricat, quarum oppositas sinè dubio idem se tenere pronunciat? Jure autem Augustinus judicium suspendit eâ præsertim tempestate, qua ob rebaptizationem Donatistarum, quæcumque iteratio baptismi per ludum dati asserta fuisset, fideles minus rerum periti, ac simplices longâ viâ ab Schismaticis rebaptizantibus in errorem trahi poterant, cui periculo prudenter Augustinus cavet. Quod verò in votis habuit, ut in plenariâ Synodo res definitur, jam definita est in Concilio Florentino in decreto fidei post ultimam Sessionem, & in Tridentino Sess. 7. can. 11. dum intentionis ministri decernitur requiri ad valorem Sacramentorum. Ita Augustinus caput illud 53. concluderat: *Quamò magis ergo nunc sinè præjudicio diligentioris inquisitionis, vel majoris auctoritatis illud dixisse accipiendus sum.* Quare suâ illâ suspensione sententiæ nullum præjudicium interre voluit diligentiori inquisitioni, quæ de intentionis necessitate in utroque Oecumenico Concilio summa diligentia à sapientissimis Patribus adhibita est, aut majori auctoritati utriusque Synodi necessitatem intentionis citrà dubium ad valorem Sacramentis definitis. Neque hinc sibi plaudant Heterodoxi, quorum Princeps est Kemaitius, suum esse Augustinum mentientes, dum necessariam intentionem inficiantur. Nam planè contrâ ipsos est. Ille enim dubitavit, num sinè intentione esset validus baptismus, at illi validum esse audacter, & citrà ullam dubitationem pronunciant. Augustinus dixit, nolle se in eâ progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata sunt. At cum in uno, & altero Concilio veritas illa Augustini tempore occulta, postea inelauerit, nihil eos Augustini dubitatio juvat, sed ubi ille aedat, *dicturos sententias, me quid jam exploratum, & cognitum afferre: humiliter expectarem,* debent ipsi Augustini verba inaudientes à duplici Synodo pronunciatam sententiam sequi. Mirentur verò Recentiores Augustini ingenium, qui idè dubitavit de necessitate intentionis, quia illam aliquo argumento suaderi videbat, at quia nullius Concilii auctoritate decreta erat, ejusdem modestiam laudent, qui de incertis certam ferre sententiam recusavit. Ita ex illâ dubitatione, ex quâ Morainius Augustinum arguit, idem nobis quàm maximè commendandus venit.

S. VIII.

Utrum Augustinus dixerit tellurem non esse rotundam, nullosque dari Antipodas?

HActenus errores, quos Augustino objecit Morainius, à Sancti Patris libris propulsumus. Adamus nobis modò refellendus est, qui uti cæteris Recentioribus eruditione inferior est, ita universos in censurâ adversus Augustinum ferendâ facillè superavit. Hic quosdam errores de Augustino publicat, quos Moraines etiam opposuit, à quibus procul fuisset Sanctum Doctorem ostendimus; addit verò dixisse insuper Augustinum: *Terram non esse rotundam, nullosque dari Antipodas.* Pag. 585. cap. 3. Eadem fronte, quâ finxit, Augustinum negasse animam esse spirituales, hic eundem Sanctum Doctorem terræ rotunditatem ignorasse comminiscitur. Sed illi, qui absque ullius textus appellatione de Augustino,

F ut